



Hoc volumen continet

1. de necessitate Physicæ in praxi medicæ
2. Historia variolarum epidemicæ grassantium
3. de Frigiditatis fixæ mirabilis efficacia.
4. de causis caloris naturalis et præternaturalis
5. Natura morborum medicatrix mechanica.
6. Affectus hereditarii, illorumq. origo.
7. Historia febris malignæ epidemicæ perfectæ tertianæ
8. Animus sanitatis & morborum faber.
9. De potentia ventorum in corpus humanum
10. de mentis morbis.
11. de mercurio et Sialibz selectis
12. de præcipuo studioforum morbo.
13. Theses selectiores ex philosophiâ & medicâ.
14. De teretibina.
15. de regimine prægnantium.
16. de pleuritide & peripneumonia.
17. de membris fractis.
18. de puluerum permutatoriorum usu & abusu.
19. de diarrhoea in febribus malignis salutari.
20. de remediis antidontalgicis
21. de opiatorum noua & mechanica operandi ratio.
22. de podagra retrocedente in corpus.
23. Motus optima corporis medicina. **Xc. 32**
24. de morbo nigro Hippocratis
25. Sacchari historia naturalis & medica.
26. de peregrinationibus sanitatis causa instituendis.
27. observationes prædicæ circa febres tertianæ.
28. de prudenti medicamentorum continuatione.

21
38
32
Q. D. B. V.
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

ATROPHIA,

quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WIL-
HELMO,

REGNI BORVSSICI, ELECTORATVS ET PROVIN-
CIARVM BRANDENB. HEREDE, & reliqua,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

Jussu Gratosæ Facultatis Medica,

P R A E S I D E

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

D. Med. & Phil. Nat. Prof. Publ. Medico Regio
& Electorali Aulico,

DN. PATRONO AC PROMOTORE ÆTATEM VENERANDO,

P R O L I C E N T I A

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, JURAQUE
DOCTORALIA rite obtinendi,

Ad diem 5 Augusti A. MDCCII.

Eruditorum examini submittit

JOHANNES GEORGIUS *Stuhlmann/*

Servesta Anhaltinus.

Typis CHRISTOPHORI ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typ. 1702.

DISSENTATIO MEDICINA IN OBSCURIS

ATROPHIA

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO
FRIDERICO AUGUSTO

DOCTORI FRIDERICO AUGUSTO

IN ALMA MATH. PHYSIC. MEDIC.
UNIVERSITATE HALLENSI

PRO LICENTIA

DOCTORI FRIDERICO AUGUSTO

D. MED. & PHIS. REGIO

an Na 1659

IN EXAMINE AC PROMOTIONE

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

DOCTORI FRIDERICO AUGUSTO

JOHANNES GREGORIUS STUBBINIUM

Typis Curatorum Universitatis Halensis, Anno 1659





PROOEMIUM.



supplicii hominum vitam auspica-
 ri, unam tantum ob culpam, quia na-
 tus est, jure meritoque cum Plinio in
 Proœm. Lib. VII. hist. natur. asseri-
 mus; statim enim ac infantes nasci-
 mur, quæ dira varia, & tenera huic
 nostræ ætati minus congrua visa, per-
 peti cogimur? Non solum in utero
 materno morbis & affectibus variis obnoxii sumus, sed
 & extra uterum etiam, modo inspiraverimus aeris primam
 particulam, h. e. dum extra uterum vivere incipimus,
 quam varii sese sistere solent affectus & symptomata? mo-
 do enim adsunt intestinorum tormina, modo vigiliæ per-
 tinacissimæ, pavores in somno, intumescentiæ hypochon-
 driorum, tusses, variolæ & morbilli, lumbricorum coacer-
 vationes variæ, epilepsiæ innumeraque aliæ affectiones,
 quibus si non omnibus, saltem plerisque etiam crescenti-
 bus annis affligimur, his etiam sæpe majora mala annu-
 merari possunt & quidem tam multa & varia, ut vix eo-
 rundem numerus efferi possit, & inter illa, modo sese si-
 stit corpulentia & obesitas nimia, modo consumptio & ex-
 tenuatio corporis, quam Atrophiam appellare solemus,
 ubi homo, non statua seu corporis viventis, sed sceleti &
 umbrae

umbra imaginem potius referre & representare videtur. De quo ultimo affectu paucis hac in Disputatione inaugurali agendum mihi proposui; Faxit ergo Deus T. O. M. ut conatus mei cedant in Nominis sui Gloriam, proximique Emolumentum & salutem.

§. I.

AD explicationem hujus affectus me convertendo definitio illius statim proponenda, nempe Atrophiam consistere in consumptione partium corporis vel universalis vel particulari, ubi de succo nutritio vel plane nihil ad partes alendas affertur, vel si quid ejusdem deponatur, ille tamen male constitutus & ad nutritionem rite & ex voto peragendam minus dispositus existat, cum insequente totius corporis languore & inappetentia; insequitur habitus corporis œdematosus, urina ut plurimum intense rubet & solito minori quantitate excernitur. Et talis solet esse status & facies hujus affectus in principio; si vero altiores firmioresque radices egerit, diutiusque duraverit, solent sese listere præter faciem Hippocraticam, consistentem in temporibus collapsis, oculis retro intra cavernas retractis & veluti absconditis, naribus acutis, malis prominentibus & ore hiante, sequentia varia, nempe aliqualis respirandi difficultas, quæ omnibus languentibus solet communis esse, perferuntur, costæ, scapulæ, claviculæ, & cartilago ensiformis multum eminent & incurvantur, ut & spina dorsi, circa articulos protuberantiæ quasi attolli videntur, omnes partes musculosæ extenuantur & excarnes fiunt, verbo, sola cutis flaccida arida & corrugata nuda corporis ossa investire solet.

§. II. Distinguitur atrophia in universalem & particularem; universalis est, quando omnes totius corporis partes

* (5) *

partes solidæ contabescunt & marcescere incipiunt; particularis vero, quando hæc vel illa saltem pars, v. g. pes unus, relicto sano altero, brachium unum, superstitæ salvo altero, consumitur & extenuatur, & hæc atrophia in specie Aridura German. das Schwinden der Glieder vocari solet.

§. III. Porro ab Autoribus practicis distingui solet atrophia in Idiopathicam seu essentialem & symptomaticam seu supervenientem & accidentalem. Idiopathica seu essentialis illa audit, quæ nullis prægressis vel adhuc præsentibus morbis accidit a causis in sequentibus annorandis. Symptomatica vero illa dicitur, quæ vel ex præteritis, vel adhuc præsentibus aliis morbis, sanguini pravam constitutionem & labem imprimantibus, originem trahit, v. gr. sic præsentè adhuc Lienteria vel coeliaca passione, Diarrhœa, Paralyti, &c. atrophia supervenire potest, & illa rectè dicitur symptomatica seu accidentalis, ita experientia Autorum Practicorum constat & comprobatum est, sæpè post variolas, Ventriculum & intestina occupantes, item post scabiem intempestivis adstringentibus retro pulsam atrophiam evenisse & hæc itidem Symptomatica jure dici debet, ita: quæ purgantia acriora & Venena corrosiva insequitur, uti exemplum hujus affectus suppeditavit Matrona quædam nobilis in Belgio, cui loco Mercurii dulcis ab imprudenti famulo pharmacopœo Mercurius sublimatus corrosivus cum fuerat exhibitus, post maxima ventris tormina, tandem exulcerationem osculorum vasorum lacteorum incurrit, & deinceps totius corporis atrophiam & maciem extremam, atque eam aliquot menses post misere periit.

§. IV. Differt atrophia a Phthisi incipiente pulmonali, quod in hac semper pulmones aliquomodo affecti sint, cum

cum dolore gravativo, respirationis aliquali difficultate, tusi &c. in atrophia vero nullum horum Symptomatum adesse deprehendimus, præterquam quod in progressu morbi aliqualis respirandi difficultas sese manifestare solet, quam tamen non vitio affectorum pulmonum, sed potius labe & defectu spirituum animalium prout omnibus languentibus accidit, patiuntur. Præterea etiam phthisis pulmonalis, semper universalis, atrophia vero non semper universalis sed sæpe etiã particularis deprehenditur uti § 2. dictũ.

§. V. Quadruplici modo ratione partis affectæ accidere potest Atrophia (1.) quatenus ventriculus nullum bonum chylum suppeditat (2) licet suppeditetur chylus, tamen propter vasã lactea & capillaria arteriosa vel obstructa vel subsidentia ad partes alendas pervenire haud valet. (3.) Nervi spiritusq; in illis contenti affici possunt, (4) ipsa denique Massa sanguinea acrimonia excessiva peccare vel simili alio vitio inquinari potest, uti §. de causis patebit.

§. VI. Causas antecedentes seu procatharticas hujus deplorati affectus quod attinet, illa respectu partium affectarum variæ esse possunt, ut plurimum vero culpa referri potest ad ventriculum alimenta tam esculenta quam potulenta non bene digerentem, sive hæc prava digestio contingat culpa fermenti ventriculi, seu culpa & causa alimentorum assumptorum, propria substantia peccantium, & digestionem conversionemque in laudabilem chylum haud admittentium, seu culpa ipsius ventriculi substantiæ morbo aliquo affectæ. Huc spectant errores circa sex rerum non naturalium usum commissi. v. g. si quis sese tempore æstivo nimium æstuantibus solis radiis exponat, si quis nimium utatur alimentis crassis, viscidis, glutinosis, acidis (utpote vim coagulandi partes chyli gelatinosas habentibus) & dulcibus, utpote facile fermentantibus & acorem

* (7) *

contrahentibus, si quis nimium sese ingurgitet liquoribus spirituosis, v. g. vino generosiori ut & spiritu vini &c. Huc pertinet nimius & intempestivus somnus, nimiaeque & excessivae vigiliae, quod & valet de motu & quiete; item alimentorum nimis subita ex ventriculo expulsio, antequam in satis laudabilem chylum conversa invicemque commixta & digesta fuerint, quod fieri cernimus in fluxu lienterico & coeliaco; huc pertinet nimia feminis vel voluntaria vel involuntaria excretio, uti in nimio Veneris usu & Gonorrhæa contingit it. nimia & intempestiva feri profusio, uti in Diabete accidit. It. Vehementiores animae passiones, ira, meror, terror &c. quantum enim hæc valeant, ad digestionem alimentorum in Ventriculo turbendam eorumque distributionem impediendam, unicuique ex Institutionibus notum esse arbitror.

S. 7. Ex hisce velut principalioribus & primitivis causis rei quæ veluti secundariæ facile oriri possunt. V. g. vasorum lacteorum & capillarum arteriarum obstructio vel ruptio; it. Glandularum mesenterii induratio & veluti in lapideam substantiam conversio. Variolæ Ventriculum & intestina occupantes. Hydrops & inde nata vasorum lymphaticorum ruptio; his enim ruptis, non sufficiens feri & lymphæ quantitas ad sanguinem diluendum & fluidum reddendum, eidem permiscetur, unde defectu hujus feri & lymphæ sanguis crassescit, aduriturque h. e. Salia in sanguine latrantia non satis diluuntur, quare potius loco partium balsamicarum partes illæ salinæ acres cum sanguine ad partes alendas deferuntur, hæc vero partes acres salinæ potius a partibus abradant, quam quod aliquid apponere debeant. it. Lumbrici, & ulcera partium ab interna causa producta; & si quæ aliæ fuerint causæ.

S. 8. Ex allegatis etiam causis facile nervorum obstructions vel compressiones, item spirituum animalium influxus

fluxus denegatus & impeditus oritur. Deficientibus enim spiritibus, humorum motus retardatur vel penitus aboletur, pro minori vel majori nervorum, spirituumque vitio, quod patet in paralyfi, luxatione &c. ubi quandoque atrophia oriri solet, & deduci potest a sanguine crassiori obstructions faciente aut segnius fluente per partes paralyticas, utpote calcare & stimulo spirituum animalium destituntur, quorum usus secundarius est humorum motum per partes solidas promovere.

§. IX. Tandem etiam causæ procathartica respectu Massæ sanguineæ possunt esse variæ. Vel enim sanguis peccare potest motu & quantitate, dum extra corpus profunditur v. g. in vulneribus, hæmorrhagiis uteri, narium, hæmorrhoidum, Dysenteris & sc. Vel peccare potest vitiosa qualitate v. g. copiosissimis particulis viscidis, glutinosis & aqueis, in cachectica & hydropica dispositione, vel salinis, in scorbutica, vel acidis acris & aliquo modo corrosivis in ulceribus partium tam externarum quam internarum. Hisce & similibus causis atrophiam progigni posse, statim pluribus illius fiendi modis enodabitur & explicabitur.

§. X. Causa atrophie proxima poni potest, vel in defectu succi nutritii, ubi vitio ventriculi vel etiam alimentorum assumptorum culpa non elaboratur, vel si elaboretur, tamen hisce vel illis partibus heterogeneis & ad nutritionem minime aptis abundat. Vel etiam causa proxima hujus affectus poni potest in denegato succi alimentitii ad Massam sanguineam & consequenter totius corporis partes affluxu, ut, licet bonus & in sufficiente quantitate in Ventriculo elaboretur chylus, ille tamen ad corporis partes alendas haud pervenire possit propter causas in antecedentibus annotatas.

§. XI. Ut verò eò curatius & evidentius quis intelligat,

gat,

* (9) *

gat, quo fieri possit modo, ut homo antea vegetus, carnosus & optimæ constitutionis, postea umbram verius quam corpus repræsentare videatur, non incongruum esse duxi ostendere, quò fato contingat, ut (1.) Ventriculus (2.) Obstructio vasorum lacteorum & capillarium arteriarum (3.) Nervi & spiritus animales & (4.) massa sanguinea hunc corporis humani deploratum statum producant.

§. XII. Quod ventriculi statum præternaturalem attinet, illius respectu potest oriri atrophia, quatenus alimenta assumpta in laudabilem chylum haud convertuntur, uti in fluxu lienterico & caliaco, ubi ante peractam digestionem nimis cito e ventriculo ejiciuntur & per alvum excernuntur, vel in internis ventriculi inflammationibus, tumoribus & abscessibus, dum simili modo alimenta assumpta nimis cito vel per os vel per alvum redduntur, antequam nimirum perfectam & debitam mutationem & concoctionem passa fuerint. Vel quatenus ventriculi menstruum nimis debile, viscosum & glutinosum existit, quod etiam in causa est, quare alimenta licet evpepta & bonifucci assumpta fuerint, tamen propter corruptam menstrui digerentis & concoquentis indolem non rite subigi & in laudabilem chylum converti possunt, sed loco illius boni, potius crudus, viscidus, glutinosus, acris vel simili modo præternaturali vitiatum succus suppeditatur & ad intestina deponitur, hic vero vitiosus succus alimentitius partim per se minus aptus est ad nutritionem perficiendam, partim etiam per accidens ad illam est minus conveniens. Per se minus aptum esse hunc succum antedictis modis vitiatum ad nutritionem absolvendam, ratio est, quatenus particula crassa, cruda, acres &c. corporis partibus haud assimilari valeant; Dein per accidens haud conveniens succus nutritivus ante enarratis modis vitiatum existit.

B §. XIII.

§. XIII. Cum ad oscula vasorum lacteorum in intestina hiantium, pervenerit, necessario propter crassitiam iasvetam, ibidem stagnare, illa obstruere, vel quocunque alio modo vitiosam dispositionem in & prope illas producere debet, sicque impedire, quo minus ulteriori lege circulationis sanguinis ad massam sanguin. & consequenter partes omnes totius corporis alendas pervenire queat, deficiente vero succo alimentitio in partibus, sensum sensimque excarnes redduntur, extenuantur, sicque tandem atrophia producitur. Et hoc in casu abdomen induratur, intumescit, eodem quo in rachitide solet evenire modo.

§. XIV. Porro superius in nervorum ruptionem, obstructionem vel compressionem, vel spirituum animalium defectum eorundemque paavam constitutionem causam atrophix proximam collocari posse diximus. Nervis enim obstructis, vel compressis vel ruptis, sicque impedito spirituum animalium, eos implere & inflare debentium, influxu, necessario sequitur, motum sanguinis aliorumq; humorum, utpote a motu, energia & activitate horum spirituum, per nervorum tubulos libere fluentium & legitime constitutorum, dependentem, valde immutari, retardari, vel penitus etiam pro majori vel minori partium læsione, aboleri & cohiberi debere; sic ut sola vasorum subsidentia, procedens a defectu sanguinis, vel spirituum anim. aut eorundem prava constitutione quendam atrophix gradum licet minorem introducere apta nata sit. Quod exemplo illustrari potest in personis macilentis, Videmus enim manibus admodum calentibus, vasa sanguifera magis turgida, partesq; obesiores & latiores existere; dum vero cessat calor, & frigus activitatem & energiam spirituum infringit, sicque partium illos continentium expansioni resistit, dum illa partes extemporaneum quasi atrophix gradum pati videntur, totisque flaccida evadit.

§. XV.

* (II) *

§. XV. Tandem etiam causam proximam in ipsa massa sanguinea residere posse superius dictum, & luce meridiana clarius esse puto, quod qualis sanguis, talis chylus, talis futura nutritio. Sanguine deficiente, deficit chylus, deficit nutritio; Sanguine acris, corrosivo vel alio modo vitiatum & inquinatum existente, loco chyli & succi alimentitii balsamici potius acris & corrosivus plus minus ad partes alendas advehitur, jam vero hic non apponi & assimilari potest partibus, sed potius abradit ulterius particulas reliquas molles & balsamicas, ad partes corporis humani alendas destinatas, vel jamjam appositas, sicque illas extenuat, consumit, & ad atrophiam disponit.

§. XVI. De symptomatum §. I. recensitorum explicatione sollicitus ut sim, non operæ pretium esse videtur, siquidem unicuique facile patet, per se hæc omnia ex dictis causis fluere atque procedere. Nutritione enim juxta naturæ leges haud rite procedente vel penitus deficiente, spirituum animalium vigor & activitas, quam in omnibus tam corporis quam mentis operationibus exercere debent, imminuitur, unde corporis totius languor, inappetentia, aliqualis respirandi difficultas facile originem trahere possunt. Quemadmodum & facies sic dicta Hipocratica, it. costa, scapula, clavicula, cartilago ensiformis & spina dorsi multum eminere possunt, deprædata enim carne & pinguedine, sponte sua hæc partes utpote duriores & carne muscosa antea obtectæ, in conspectum veniunt; & quandoque incurvantur hæc ossa, quia ob musculorum extenuationem, tendinumque excitationem & corrugationem elongari non possunt, sic ut quasi retrahantur & ad incurvationem invitentur & corrugentur a musculis eorundemque tendinibus. Circa articulos protuberantia quedam videntur, quæ sapissime præternaturales non sunt, cum enim vicina caro pinguedo-

que omnis consumitur, articulationes necessario prominere debent, quæ protuberantiæ speciem excreſcentiarum aut nodorum præternaturalium pluribus imponunt; Si vero præternaturales ſint in articulationibus nodi, dependent & oriuntur a materia terreſtiori & ſale copioſiori fixo inibi depoſito & ſtagnante, uti quandoque in podagra fieri cernimus. *Partes omnes muſcul. ſæ extenuantur & ex carnes ſunt*, ſi enim nihil ſucci alimentitii partibus apponitur, illarum extenuatio ſponte ſua ſequi debet. *Cutis erit flaccida & arida*, propter defectum pingvedinis & ſucci nutritii baſſamici, quò naturali & ſano in ſtatu cutis perfundi copioſiſſime debet.

§. XVII. Signa diagnòſtica manifeſtiora ſunt, quàm ut longa enumeratione indigeant, utpote ex ſymptomatum §. i. enarratorum congerie & præſentia depromi poſſunt & debent, ex quibus tamen omnibus tanquam pathognomonica ſigna hæc duo eligere poſſemus, nempe langvorem & marcorem totius corporis & inappetentiam ciborum.

§. XVIII. Prognòſin quod ſpectat, affectus hic in principio lethalis nullo modo cenſendus, præſertim ſi Medici prudentis auxilium imploratur, leviſſimis tunc ſapè remediis juſto tempore adhibitis tolli & curari poteſt. Quod ſi vero altiorem firmioresque radices egerit, partesque pingves & carnoſæ extenuatæ & conſumtæ appareant, non ſolum curatu valde difficilis, ſed etiam periculofus & lethalis meritò cenſendus erit, ſolet enim patientes lentò pede ad ſepulchrum ducere. Facilius verò curatur illa atrophiciæ ſpecies quæ ab acrimonia ſanguinis reliquorumque humorum ortum traxit, & ubi nulla alia viſcera labefactata & præternaturali modo affecta ſunt, quoniam acrimoniam illam per convenientem diætam & remedia tandem emendare & temperare poſſumus. Bonum ſignum

num est, & curationem & salutem sperare & promittere licet, si coctio perfecta & bona sese listat, si appetitus redeat, si vires recolligantur, & si non nimis diu duraverit. Et viceversa malum est, si contrarium horum omnium accidat. Difficilioris vero curæ existit atrophia, quæ ab obstructione & induratione glandularum mesenterii, uti etiam quæ ab exesibus vel ruptis vasculis lymphaticis & lactiferis ortum duxerit, it: ubi nervorum tubuli obstructi, vel alio modo præternaturali affecti, uti in partibus paralyticis simul macie affectis videri licet; it. quæ majoribus luxationibus supervenit. Difficillimè vero imo ac ne vix quidem curari potest, quæ a nervorum ruptione, discissionem & agglutinationem per medicamenta licet optima haud promittere possumus. Atrophia symptomatica seu quæ aliis supervenit morbis non prius curatur quam morbi illi, quos concomitatur, curati fuerint, v.g. si vermibus supervenit, vermes prius curari & expelli debent, si diarrhæis, dysenteriiis, fluxui coeliaco, lienterico adjungatur, hi affectus prius curentur, sic enim sua sponte atrophia cessare solet, quamquam etiam hæc atrophia symptomatica magis vel minus periculosa censi debet, pro magnitudine vel parvitate morbi, cujus est symptoma.

§. XIX. Cura consistit (1) in ventriculi vel ipsius menstrui præternaturaliter affecti correctione & emendatione (2) obstructorum vasorum lacteorum, lymphaticorum, capillarum arteriarum & nervorum, circulationem succi nutritii impredientium, reseratione & deoppilatione (3) massæ sanguineæ fortè nimia acrimonia peccantis attemperatione, (4) viriumque collapsarum in integrum restitutione.

§. XX. De venæ sectione quaritur, an in atrophia possit lo-

fit locum habere Resp. directe non, quoniam chylicatio & sangvificatio per se imminuta valde & depravata est, jam vero si vellemus per, venæ sectionem sanguinem fortè adhuc restantem detrahere, necessario malum malo adderemus. Præservative autem in nimia sanguinis copia potest locum invenire.

§. XXI. Purgantia vero hoc in affectu aliquomodo locum habere possunt, præprimis in principio & si causa atrophix lateat in primis viis h. e. in ventriculo ejusque menstruo haud benè digerente & concoquente alimenta assumta, vel intestinis, interius glutinosa & viscida materia obfessis. Repurgatis enim & mundatis primis viis, menstruum ventriculi antea minus activum existens sui juris redditur, ut alimenta melius postea digerere & in laudabiliorem convertere queat chylum.

§. XXII. Pro restituendo ventricull menstruo digestivo eoque corroborando inservire possunt sic dicta stomachica v. g. Elix. P.P.c. & s. acido, omnia amara v. g. Esfabf. Centaur. min. card. ben. Galang. Zedoar. Citri, cort. aurant. menthæ, quo referri debent omnia aromatica, calamus aromat. piper. Cinnamom. caryophill. &c. hinc inde in Practicorum scriptis magna copia annotata. It. digestiva omnia ex tartaro parata v. g. Crystall. & crem. Tartari, liqv. terræ fol. tartari, tinct. tartari.

§. XXIII. Ad secundum curationis scopum obtinendum, nempe ubi vasa lactea, lymphatica, capillaria arteriarum, & nervorum tubuli obstructi fuerint, optimè prodesse possunt omnia incidentia, attenuantia & aperientia, quo iterum referuntur cuncta aromatica, volatilia & spirituosa seu ex Regno vegetabili s. animali seu minerali parata, decocta lignorum, v. g. Guajac. sassafr. sarsapar. cort. tamarisc. rad. cappar. fraxin. additis salibus fixis vel volatilit.

til. ; it. hic proficere potest spir. sal. ammoniaci simpl. & vel aromatizat. spiritus C. C. salvolat. C. C. sal ammoniac. it. salia fixa. terrea & absorbentia v. g. sal scord. Centaur min. Card. bened. absynth., oc. cancror. C. C. ust. Ebur. mater perlar. oss. sep. mandib. lucii pisc. dens hypopotam. it. martialia, v. g. antimon. diaph. simpl. vel martiale, Cinnabr. antimon. tinctur. mart. aperitiv. crocus martis aperit. Elect. de chalyb. liquor. martis solaris &c.

§. XXIV. Tertia indicatio curativa consistit in acrimoniae sanguinis forte praesentis correctione & attemperatione, ad hunc itaque finem obrinendum conducunt omnia terrea absorbentia & extremitates salium acrium obtundentia, uti sunt omnes terrae sigillat. v. g. bohemica, silesiaca, Lemnia &c. in §. anteced. jam dum notata; huc etiam faciunt blandiora acida v. g. spir. nitri, salis, vel per se sumti vel dulces facti, tartarus vitriolatus, it. pinguia, quo referuntur emulsiones ex amygd. sem. papav. & s. cum aqua hord. lactuc. factae, it. aquea majori quantitate assumpta v. g. potus Thee, Caffee decoctum Acorzonerae, Cornu cervi.

§. XXV. Tandem cunctis ante recensitis impedimentis remotis & curatis, eo allaborandum est, ut corpus eupeptis alimentis recreetur, & vires sensim sensimque restituantur in pristinum statum, propterea convenit recreare animi aegrotantis colloctionibus gratis & jucundis, dimittere illum in benignum & apricum aerem, imperare exercitia convenientia & moderata, exhibere alimenta eupepta & boni succi, sed non nimia in quantitate, ne ventriculus adhuc debilis, magis molesteretur a nimia & copiosa alimentorum assumptione. Huc etiam referri potest cura lactea, quae vero non inchoanda, nisi primae viae probe fuerint repurgatae, & praesertim conveniunt lactinia, ubi atrophia oritur ab acrimonia sanguinis & lymphae salsa muriatica,

quo-

quoties vero est atrophiam ex visceris corruptela & ulcere vitioque stomachi, toties plus incommodi & detrimenti quam utilitatis affert cura lactea, nisi prius hæ viscerum interiorum corruptelæ curentur & vitia ventriculi plus minus antea corrigantur & emendentur.

§. XXVII. Externe hoc in affectu conveniunt quoque inunctiones c. oleis spiritibusque penetrantioribus factis v. g. cum spiritu & ol. lumbric. terrestr. formicar, ol. philof. succin. Castor. Juniper. lauri. Ungt. Nervin. Augustan. agripp. &c. it. balnea parari possunt ex aqua fluente cum incoctis herb. aperientibus, addito sale ammon. & sulphure &c. Hac enim methodo obstructions tam externarum quam internarum partium quoque resolvi & discuti possunt.

§. XXVII. Reliquas particulares curæ indicationes v. g. si a vermibus vel alio morbo oriatur atrophiam, nimis rædiosum esset hic locorum pertractare, cum apud Autores Practicos abunde docetur, qua ratione vermes, lienteria, cæliaca passio, luxationes & similes affectus curari debent, hisce enim prius rite curatis, atrophiam sua sponte cessare, & homo sanitati restitui solet.

§. XXVIII. Diætæ pro diversitate materiæ & causæ peccantis a Medico circumspècto & prudenti facile imperari & ordinari potest conveniens.

SOLI DEO GLORIA.





Ua 1659

ULB Halle 3
004 187 067



Sb,
Nur für den Lesesaal

Petro V

1017







21

38
32

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
ATROPHIA,

quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
**DN. FRIDERICO WIL-
HELMO,**
REGNI BORVSSICI, ELECTORATVS ET PROVIN-
CIARVM BRANDENB. HEREDE, & reliqua,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
Jussu Gratiſſa Facultatis Medica,
P R A E S I D E

DN. FRIDERICO HOFFMANNO
D. Med. & Phil. Nat. Prof. Publ. Medico Regio
& Electorali Aulico,
DN. PATRONO AC PROMOTORE AETATEM VENERANDO,
P R O L I C E N T I A
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, JURAQVE
DOCTORALIA rite obtinendi,
Ad diem 5 Augusti A. MDCCII.
Eruditorum examini submittit

JOHANNES GEORGIUS Stuhlmann/
Servesita Anhaltinus.

Typis CHRISTOPHORI ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typ. 1702.